

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Matronae munificentissimae Dorotheae Friedericae
Lucretiae de Pelcke, natae de Bernhold in Eschau, ...
parentabunt ... cives ...**

Sachs, Johann Christian

Carolsruhae, 1769

"Sed quo arctior fuit haec amoris [...]"

[urn:nbn:de:bsz:31-116002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-116002)

enim, ut TVLLIVS *) ait, delectationem habet praeteriti doloris
 secunda recordatio: dubitari profecto non potest, quin eo major
 futura sit declaratio, quo copiosiora sunt bona, quibus exhausta
 mala bonitas divina compensat. Itaque matrimonium hoc cum ob
 praeclaram concordiam, sanctissimam fidem, mutuam caritatem esset
 felicissimum, felicius tamen videbatur ob factorum similitudinem, et,
 quod conjux conjugi speculum veluti esset, in quo intuebatur uter-
 que miranda divinae benignitatis, sapientiae, providentiae ex-
 empla.

Sed quo arctior fuit haec amoris atque animorum conjunctio, eo
 acerbiorem sibi luctum impendere sensit conjux optima, cum propter
 infirmam atque aegram etiam valetudinem, qua saepe tentari charissi-
 mum maritum vidit, metuendum ipsi esset, ne viaculum illud, ex quo
 ne quid laxaretur unquam optabat, rumperetur. Ruptum est anno
 huius saeculi quadragesimo primo. Quanquam nec casus hic esset
 inopinatus, neque animus ejus ad omnes omnino salebras perrum-
 pendas multis videretur minus exercitatus: in luctu tamen et squa-
 lore non versari vidua non potuit, ab optimo marito per mortem
 disjuncta, quem vitae suae voluit esse superstitem. Sed ut ne dolore
 hoc intestino, omnibusque, quos olim senserat, longe majore op-
 primeretur, prospexit, quod prospicere piis optime solet, Numen
 supremum. Clementissima Princeps, facilior ut PELCKIO suo ex
 dulci contubernio foret discessus, febricula tabescenti promiserat,
 se

*) Ad Fam. Epistol. V. 12.

se ipsius uxori filiolaeque subventuram. Subvenit large atque honorifice; in aulam suam, in sinum ac gremium excepit utramque. Beneficentissimae Principis liberalitate cum vix sesquiannum fruere-
tur, evocata ad meliorem vitam est Celsissima Princeps, munificen-
tiae suae praemia a benignissimo Numine captura. Redeundum fuit
PELCKIAE nostrae ad proprios lares.

Factum haud ita multo post, ut ex defunctae sororis testa-
mento effertissimam cerneret haereditatem. Mutatam subito puta-
res rerum ipsius faciem. Mutata certe non magis, quam animus.
Quodsi is demum vir est, ut LIVIVS ait, cujus animum nec pro-
spera flatu suo effert, nec adversa infringit fortuna: virili sane animo
fuit ac prorsus heroico; semper eadem sui que simillima. Amplissi-
mis enim, quas fortuna suffragante jam consecuta, opibus, non
propter ipsas gaudebat, aut, quod fieri plerumque solet, ut vel
animo elatius, vel cultu victuque se magnificentius gereret. Nove-
rat, quam sapienter SOCRATES interroganti: quisnam sibi vide-
retur ditissimus? responderit: qui paucissimis contentus est. Pau-
cis cum adhuc vixisset contenta, non desideravit plura. Pluribus,
quae jam possidebat, unam ob causam gavisa, quoniam haberet,
quae larga manu conferret in plures. Itaque luxui, superbiae, ava-
ritiae inimicissima, in adjuvandis pauperibus strenua ac diligens
neque auro neque argento suo eorum causa pepercit. Quin et iis,
quorum penuria per alios ad ipsius aures pervenit, opem suam
rogata nunquam denegavit. Est hoc divinae et sincerae indolis
proprium, miserorum misereri, inopes juvare, bene egentibus
facere. Inprimis miserata est homines tenues malisque domesticis
impe-